DE LAUDIBUS
FRANCISCI I.
ROMANORUM IMPERATORIS
ELECTI
ORATIO FUNEBRIS
MARCELLI CHEROFINI

SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS XIII. PONT. MAX. PRÆLATI DOMESTICI.





ROMÆ MDCCLXVI.

EX TYPOGR. S.MICHAELIS, APUD FRANCISCUM BIZZARRINI KOMAREK PROVISOREM LIBRORUM S. R. E. IN BIBLIOTHECA VATICANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

JOSEPHO II.

ROMANORUM IMPERATORI ELECTO &c. &c. &c.

MARCELLUS CHEROFINIUS

FELICITATEM.



SI quis forte consilium meum esset improbaturus, quod Tibi potissimum, JOSEPHE II. Imperator, nuncupare statuerim hanc Orationem, quam Car-

dinalis Albanus apud SUMMUM PONTIFICEM Orator tuus a me habendam jusserat, quum Romæ FRANCISCO I. Patri tuo funerum justa solemni pompa publice persolverentur: is profecto de animi tui magnitudine quid vere sentiendum sit mihi ignorare videretur. Etenim nihil aliud esset, cur ille mihi subirasceretur, nisi quod Te gravissimis distentum curis, hoc præsertim auspicatissimo Regni tui initio, interpellare ausus fuerim, quodque periculum sit, ne dum benigne mecum agere velis, illatum Tibi Augusti Parentis interitu acerbissimum vulnus recrudescat. Verum probe noverunt homines, qui virtutum omnium ornamenta & decora simul in Te congesta suspiciunt & admirantur, qua constantia, fortitudine, animique præsentia Te gesseris, cum inter regales nuptias una Tecum repentino illo casu universa Europa mœrore & luctu completa est; nihil enim a Te omissum accepimus, quo eximia amantissimi Filii erga Parentem

opti-

optimum charitas aliqua ex parte desiderata fuerit, nihil vero a Te actum, quod demissi fractique animi indicio esse posset. Siquidem qui ad imperia natus est, ad omnes quoque fortunæ vices ita paratum esse oportet, ut vel in maximi doloris acerbitate regios ille semper & mores, & ingenium præseferat. Nunc autem si quis intueatur quantus in imperio sis, quem in populos amorem, quam in capiendis consiliis prudentiam, quam in coercendis malis artibus sollicitudinem & curam, quam in Deum Opt. Max. pietatem & religionem, quam denique in singulos æquitatem, mansuetudinem, pronamque ad beneficia voluntatem ostendas, continuo ille quidem intelliget, Te post tantam, ac tam magnam Augustæ Domus jacturam Tibi Patrem, Virum numeris omnibus absolutum, atque omni laudum genere spectatissimum ad imitandum proposuisse. Non enim decet filios, ut exemplo Ipse tuo doces, paternorum duntaxat bonorum ac fortuna-


tunarum, verum etiam, quod longe præstantius, atque utilius est, eximiarum omnium virtutum, ut Tullio placuit, optimorumque morum hæreditatem adire; turpe siquidem esset, quæ caduca sunt, avidissime arripere, quæ vero immortalia, depresso ac fastidienti supercilio respuere, & aversari. Quandoquidem vero quorum exemplis utimur ad vitam, moresque nostros instituendos, eorum quoque laudes arrectis auribus libentissime accipimus, & litteris consignatas evolvimus: quî subvereri possum, ut audaciæ, & imprudentiæ nota Orationi huic meæ inuratur, quæ cum tota sit in Augusti Parentis tui laudibus contexendis, Tibi præcipue JOSEPHE II. Imperator, qui Illi in imperio, unaque in bonarum omnium artium studio successor factus es, omnino sistenda videbatur? Æquo igitur accipias animo, si Majestati, amplissimoque tuo inscripta Nomini vulgata est, libensque eam patere se Tibi non exterarum, sed domesticarum re-

rum

rum præconiis cumulatiſsimam commendare. Habebit cur ſibi plaudat, ſi tuo, licet innumeris Imperii negotiis implicitus ſis, patrocinio fulciri, & ſi, modo per otium liceat, manibus ſe tuis contrectari ſentiat. Sed ut veriſsime loquar, jam habuit, quæ ſibi optaverat. Quod enim fauſto feliciqueomine populorum commodis, & utilitati proſpiciens quodammodo vaticinata fuerat, id illa in ipſo Regni tui initio,cum optima gubernandi ratione inita præconceptam de Te, deque tuis moribus opinionem expleveris, uberrime conſecuta eſt. Non itaque miramur, ſi brevi hoc temporis intervallo doloris ac mœſtitiæ gemitus hilares animorum præ gaudio geſtientium ſignificationes exceperint, ſique Germanici Imperii Urbes, ſi Auſtriacæ Domus Provinciæ & Regna, ſi Etruria, ſi demum omnes & luctum & lacrimas cum lætitia commutaverint; ſiquidem jam minus illis factum eſt, quod in Patre e vivis ſublato damnum acceperant, quum

tantam ſeſe, ac tam magnam generoſiſsimis in Filiis maximarum virtutum præſtantia, & amplitudo explicuerit, & in conſpectum omnium lucemque prodierit. Utinam quantum vitæ Illius, qui æterna poſterorum memoria victurus tam cito naturæ ceſsit, detractum eſt, tantum Auguſtæ Conjugi MARIÆ TERESIÆ, ſapientiſsimæ tot Regnorum Moderatrici, quam nemo ſatis pro dignitate unquam laudaverit, tantum Tibi, JOSEPHE II. Imperator, tantum reliquis Auſtriacæ, & Lotharingicæ Familiæ Principibus Dei Opt. Max. beneficio addatur. Nullus enim omnino dubito, quin Vobis Illi diutiſsime ſuperſtitibus æterna etiam quodammodo, atque immortalis perſeveratura ſit populorum felicitas, Auguſtæ Domus ſplendor ac decus, & quod maxime optandum eſt, firmiſsima Sacerdotii, & Imperii conjunctio.

ORA-



ORATIO.



Uod a DEO Opt. Max. precabamur, Auditores, ut diuturniori, quoad fieri posset, imperio FRANCISCUS I. Imperator electus florenti adhuc ætate Vir, firmaque valetudine frueretur, id pro voto nobis non cessisse misero quodam Europæ fato nuperrime condoluimus. Audistis jam ferme quatuor ab hinc mensibus, Eum inter privata, & publica gaudia apud Breunos commorantem immatura morte fuisse nobis ereptum, & quam urbem majestate sua vivus cohonestaverat, eam mortuum acerbo luctu, ac

mœro-

mœrore complevisse. Meministis Conjugis Augustæ lacrimas, nobilissimæ, ac numerosæ Sobolis gemitus, cunctorum pene populorum fletus, quibus idcirco uberior data est doloris occasio, quod illum, dum adhuc viveret, veluti carissimum Sponsum, Parentem optimum, Principem vero numeris omnibus absolutum amplexi fuerint, atque suspexerint. In hoc autem luctuosissimo, tristissimoque casu, quam partem sibi sumpserit hæc Urbs amplissima, quam ex quocumque Ordine cives, quam demum Aulæ Romanæ Proceres, vos ipsi scitis. Hæc enim una omnium vox & lamentatio: miserrimum omnino esse, & infortunii loco ponendum Eum nobis Imperatorem e sinu avulsum, qui præcipuas, quæque Viro Principe dignæ sunt, virtutes omnes in se uno complexus est, qui sibi semper laudi duxit populorum commodis & quieti consulere, & Cui, utpote amantissimo Filio suo, tuendi se ac defendendi munus universa Ecclesia commiserat. Quibus ego vocibus libentissime assentior, illudque & ego fateor non exiguo, imo quam maximo Reipublicæ damno accidisse, ut Is supremum tam cito diem obierit, quem de Se, de Suis, de ceteris omnibus optime meritum prædicamus. Quandoquidem vero vehementi hoc, & inopinato luctu perculsis, absortisque mentibus nostris doloris solatium aliquod quærendum est, ex quo illud potissimum fonte, nisi ab Ejus laudibus, derivari in nos poterit? Quis enim non existimaverit, maximam illam de ejus pridem obitu conceptam animi ægritudinem ali-

qua

qua ex parte sibi imminutam, ubi ad eximiarum contemplationem virtutum, admirationemque traduci se sentiat? Ita profecto fiet, ut si universa Respublica summo se Viro orbatam nuper ingemuit, hoc quoque agnoscat, tanto eum vixisse tempore, quanto opus fuerat ad omnium sibi posterorum existimationem vindicandam.

Quod dum facio more institutoque majorum, & in hac tanta hominum frequentia, qui ei funerum justa persoluturi huc convenerunt, liceat mihi ea omnia, quæ ipsi fuerunt commendationis ad gloriam, ad tria veluti capita revocare, & in iis titulis immorari, quos olim Imperatorum majestati inscriptos populorum invexit assentatio, & posteritas consecravit. Vere igitur PIUM, vere FELICEM, vere PATREM PATRIÆ FRANCISCUM I. Imperatorem vobis constituo, illumque omnium prædicatione & laude dignissimum judico, quod Pietate sua, Felicitate, & Amore in populos immortale sibi nomen conciliaverit. Hæc sunt, in quorum contemplatione tota hęc mea versabitur oratio, quibusque rite perpensis satis æternæ FRANCISCI memoriæ, satis vobis, quos desiderium illius tenet, satis mihi, qui gravissimum ejus laudandi munus suscepi, consuluisse arbitrabor.

Atque hìc initio probe intelligo amplissimam mihi caussam ad dicendum propositam, in qua, adeo magna est rerum ab eo recte gestarum varietas & copia, late vagari, ac quodammodo exultare possit oratio. Etenim quum FRANCISCUM vere Pium appello, nolite arbitrari, Auditores,

par-

parvam aliquam me Ei gloriam conflare, quin imo contendo, ubi Eum vobis hoc nomine commendavero, cetera laudum & ornamentorum genera ad hoc unum referri. Sint reliqui Reges, licet per me, militari virtute præstantes, & inter bellorum strepitus regnorum, suæ vitæ periculo, securitati prospiciant. Sint prudentes, & prompto quocunque in discrimine animo & consilio, sint munifici, sint liberales: si tamen pietatem ab illis auferas, aut languentem, ac pene emortuam in ipsis exhibeas, magnos fortasse, ut est captus hominum, Viros, non autem tales eos adfirmaverim, quales & imperii majestas, & optima populorum institutio, ipsa demum Christiana Respublica omnino videtur expostulare. Da mihi ipsorum aliquem pium, da religiosum, da vitæ integrum & innocentem: tunc sane verum Regem agnosco, iisque ornatum moribus, qui cunctorum oculos in admirationem sui rapiant. Et quidem si præteritorum temporum rationem habeatis, facili negotio intuebimini, Auditores, nonnullorum Principum pietati tribuendum esse, quod dulcissima apud nos sit ipsorum nominis recordatio. Quid Constantinum illum Magnum, quid Theodosium, quid Henricum II., quid Carolum Quintum, quid, ne longior sim, hac nostra ætate Carolum VI. Imperatorem, nisi pietas ad amplissimum gloriæ fastigium evexit? Quibus licet armorum splendor non parum, imo abunde laudis contulerit, tamen si nulla alia præter Religionis studium eos celebrandi caussa suppeteret, hac una apud nos essent commenda-

datio-

datione contenti. Etenim intellexiſſent præcipuum, ac præſtantiſſimum optimi Principis munus uberrime ſe expleturos, ubi longe a ſocordia, a luxu, ab otio, a ceteris omnibus malis artibus exemplo ipſimet ſuo populos, quos regendos a Deo acceperant, bonis moribus inſtruerent, & ad pietatem, honeſtatemque componerent.

Hæc animo FRANCISCUS reputans, illudque cogitans, Religionem, quæ ſancto & pio ſummi Numinis cultu continetur, quamvis univerſorum ſit, ſibi tamen peculiari quodam modo colendam, qui imperio fungeretur, vix dici poteſt qua cura, quoque ſtudio ad reliquorum exemplar omnes ſuæ vitæ rationes integerrime ſemper inſtituerit. Siquidem regia illa, ac nobiliſſima Familia natus, quæ morum ſuavitate, innocentia, atque omni virtutum genere in Lotharingia jamdiu dominabatur, caſtiſſimaque ſanctiſſimorum Parentum diſciplina inſtructus probe vel ab ineunte ætate cognovit ſibi altius, quam ceteris privatis hominibus, in exequendis pietatis officiis enitendum, ubi vellet a domeſticis Majorum ſuorum exemplis ne tantulum quidem deflectere. Optimis hiſce artibus ac præceptis eruditus, & ad hoc ſuo ipſe ingenio ultro currens adeo firma virtutum omnium in hoc pietatis ſtudio fundamenta conſtituit, ut deinceps toto vitæ curriculo nihil fuerit, quod homines in eo reprehenderent, multa vero & maxima, quæ imitarentur.

Dabitis mihi hanc veniam, Auditores, ut in laudan-

laudando Viro a Religione populis commendatissimo, non ea præteream, ne parva quidem, ceterisque communia, quæ maximæ adversus ipsam Religionem observantiæ dedit argumenta. Desideratis ne eum vobis Principem, qui in adeundis divinis mysteriis summa assiduitate, ac reverentia nemini cesserit, qui nullum diem elabi passus fuerit, quo augustissimum illud Sacrificium ad homines Deo conciliandos institutum præsente se fieri non curaverit? Desideratis ne illum quam sæpissime sacras conciones audientem, aut in genua provolutum culparum suarum humillime veniam expetentem, cælestique Christi pabulo singulis hebdomadibus enutritum? Hæc omnia FRANCISCUS egit, neque hæc privatim, sed publice, non ad inanem quamdam, futilemque pietatis ostentationem, sed sincere, sed caste, & ab omni simulationis specie remotus. Neque vero in animum inducatis leviora hæc parvique esse momenti, quod reliqui homines eadem hæc faciant, quibus persuasum sit suavissimis Christi legibus non animo tantum, verum etiam operibus & re omnino esse parendum. Etenim Regum alia, alia vero ratio privatorum hominum habenda est. Illi gravissimis regni curis distenti, & multiplici rerum mole oppressi, ac pene obruti remissiores aliquando sunt in Religionis officiis; istorum vero, quibus temporis abunde est, pronior etiam & alacrior fit in illis obeundis voluntas. Quibus igitur Te dignum laudibus, FRANCISCE, (liceat mihi quasi præsentem alloqui) dixerim, qui optimæ Regni

gni Tui administrationi, innumerisque, quibus detinebaris, negotiis satis pèr Te cautum es arbitratus, ubi singulis diebus, coram omnibus a divinis rebus, & a pietate exordireris; itaque ostenderes eum probatissimam regnandi inire rationem, qui publicum bonum cum Religionis bono conjungat. Hinc sane factum est, ut qui Augusta in Domo tua vel officii, vel honoris causa versarentur, nihil præ se unquam tulerint, quod non sanctum, non integrum, non ab omni reprehensione alienum esset; nihil enim a Te probatum iri intelligebant, quod aliquo modo a Religionis castitate abhorreret. Itaque Te hisce tam piis moribus prædito quid ipsi Sacrorum Præsides, & Administri sibi metuerent, imo potius quid non sibi promitterent? Illos enim in iis, quæ Sacerdotalis juris sunt, consiliorum tuorum participes, illos in dubiis suasores, auctoresque rerum agendarum, illos amplissimis muneribus tuis locupletatos accepimus. Audivimus Templa a fundamentis erecta, ac pretiosis ornamentis instructa, ubique piæ munificentiæ, ac liberalitatis impressa vestigia, nihil a Te eo consilio tentatum, quo Ecclesiasticæ aut libertati, aut dignitati offensio aliqua posset afferri. Quapropter universæ Christianæ Reipublicæ, Tibique vehementissime gratulor, quod eum illa in Te Imperatorem nacta fuerit, qualem in votis habuerat, Teque illi majestatis suæ propugnatorem, defensoremque præstiteris.

Et in hoc quidem illud consolatur me, ac quodammodo recreat, quod a vobis nulla mihi de-

deprecanda ſit adulationis opinio, quum luculentiſſimum teſtem habeam CLEMENTEM XIII., quem diu optamus incolumem, una cum omnibus Lotharingiæ, Etruriæ, ac Germaniæ Pontificibus. Quæ, Deus bone! & quam conſtans FRANCISCO auctore nunquam diſſentiente, ſemper autem ſuffragante Imperii, & Sacerdotii conjunctio! Quanta facta eſt utrique ex hac mutua conſenſione dignitatis acceſſio! Dicant hic rerum divinarum, humanarumque perturbatores, qui in invidiam Eccleſiaſticos viros vocare plerumque ſolent, quid de FRANCISCI potentia, quid de ipſius majeſtate detractum fuerit, quod Eccleſiæ jura rata atque firma, illamque ſumma in tranquillitate eſſe voluerit? Præſtantiſſimum illud, maximæquæ laudis inſtar erit, quod Eo per viginti annos imperante aut nulla, aut certe leviſſima diſſenſionis initia extiterint; nullum vel dictum, vel factum, ex quo abalienati animi ne parva quidem ſuſpicio emerſerit; uno verbo, nihil fuerit, in quo ne Religio aliqua ex parte labefactaretur, Apoſtolicæ Sedi operam ipſe ſuam, laborem, & diligentiam recuſaverit. Quam certe laudem pauciſſimis, qui ante ipſum fuerunt, eſſe tribuendam affirmare mihi poſſe videor. Quamvis enim in promovenda, & amplificanda hujuſce Sedis auctoritate clariſſima eximiæ pietatis ſigna, atque indicia patefecerint, tamen aliquando ea diſcordiarum ſemina jacta ſunt, quæ in apertum bellum excreviſſent, niſi ſumma prudentia huic malo fuiſſet occurſum. Quod temporum illorum conditioni, & nonnullorum dolis,
& ver-

& versutiis vitio fortasse dandum est, quippe qui malis artibus, fraudibusque Principes optimos circumvenerint; at FRANCISCI cura & auspiciis omnia prorsus pacata, omnia timore vacua, omnia in tuto posita. Quæ dum mecum animo reputo, latissimum mihi campum aperiri video ad Illius, quem prædicamus, singulare decus, egregiaque in nos merita extollenda, in quo sane libentissime pervagarer, nisi temporis angustiis prohiberer. Mente vos, & judicio ipsi vestro expendite, quæ summatim, ac strictim a me dicenda erunt. Memineritis, quæso, quam fœda, quam deturpata, quam luctuosa non paucis in locis sit Germaniæ facies, quoque in statu apud eos res nostræ sint, qui a Romanorum Pontificum communione perditis hæreticorum consiliis jamdiu desciverunt. Cuncta ubique pessumdata & profligata; ubique acerrimum odium, quod sæpe importunis discordiis ac seditionibus, quasi ventis quibusdam, agitatum apertius exarsit; ubique educti, districtique gladii, quibus irruentes in nos, uti vocant, adversarios suos impetum faciant. Adde Regum potentissimorum favorem, & gratiam, quos doctrinarum suarum fautores, & vindices adsciverunt; adde intemperantem dominandi libidinem ferro, flammaque grassantem; adde sanctissimarum legum contemptum, ingenium pervicax, & inexplebilem erroris late disseminandi cupiditatem. Hæc qui videat, animo pene concidat necesse est, & candidissimam Christi vestem teterrimis infectam maculis, nigro cruore conspersam, & impie discissam miserrime ingemiscat. Erit igitur optimi, piissimique Imperato-

 ris

ris ex alto, & tamquam e sublimi specula prospicere, quod si hujusmodi dissensionum turbines componi, ac sedari non possint, saltem ne fluctus excitent, quibus omnia horribili quadam tempestate absorbeantur. Quorsum hæc, Auditores? Ut nempe vobis uberius cognita, ac perspecta sit singularis, ac pene divina FRANCISCI pietas, qua cautum est (amplissimos eos nunc iterum testes adhibeo, quos superius nominavi) ne fœdissimi morbi contagio latius serperet, ne ab impotenti hæreticorum licentia aliquid Respublica detrimenti caperet, ne se imperante aliquid mali, & calamitatis erumperet, quod aut boni metuerent, aut improbi nefario scelere auderent.

Neque vero credatis hæc ab eo gesta sine earum, quæ pietatis administræ, ipsique ornamento sunt, societate virtutum. Ea enim bonarum omnium artium procreatrix, & quasi parens est, ut merito affirmari possit ceteras ab hac una, veluti a Sole cælestia corpora, lucem splendoremque suum mutuari. Quæ quidem quum in FRANCISCO altius, quam credibile sit, radices fixerit, quanto eam putatis virtutum omnium apparatu in apertum prodiisse? Vidit profecto Austria, Lotharingia vidit, vidit Etruria effusam ipsius in pauperes liberalitatem, in moribus mansuetudinem, in sermone modestiam atque humanitatem. Quo vero in Principe aut major, aut admirabilior eluxit in negotiis licet arduis constantia, in singulis audiendis facilitas, privatis in rebus frugalitas, in publicis splendor, in verbis factisque veritas,
in

in quotidiano convictu ac consuetudine hilaris quidam lepor, & jucundissima urbanitas? Quæ sane ita ab Eo in hac tanta dissimillimarum virtutum copia mirifice conjuncta sunt, ut nihil de majestate simplicitas, nihil de gravitate comitas, nihil de dignitate festivitas unquam decerpserit. Jam vero quis in fide maritali servanda FRANCISCO firmior? Quis lectissimæ, ac benemerentissimæ Conjugis amantior? Quis in augusta Prole sanctissime instituenda, optimisque imbuenda disciplinis studiosior? Quis adversus quoslibet omnes ita propensæ ad beneficia voluntatis, ut semper verbis significaverit, revera ostenderit suorum salutem, liberos, famam, fortunas sibi esse charissimas? Credo equidem neminem fore, qui hæc splendide potius, quam vere a me dicta arbitretur, præsertim si memoria teneat, quot cives Ille Viennensi in urbe servaverit, cum repentina, nocturnaque Danubii alluvione totum Leopoldi suburbium, quam late patet, aquis affluentibus inopinate, nec illis tale quid suspicantibus, occupatum est. Nunquam excidet eorum ex animis grata illius diei recordatio, cum ceteris præ timore opem negantibus FRANCISCUS unus inventus est, qui naviculam cum paucis conscendens sui muneris esse duxit, illis domi conclusis, fame languentibus, & consternatis suppetias ferre, ostiatim quid opus esset sciscitari, cunctos ciborum copia reficere, & in tanto ac tam sævo periculo ex ipsius mortis ore, ac pene faucibus cives eripere, suæque vitæ incolumitati, ut aliis præsto esset, non parcere. Ignoscite, quæso,

ſo, Auditores, ſi acervatim hæc a me ſunt vobis expoſita, & ſi pulcherrimas illas, quæ cum FRANCISCI pietate copulatæ, ac quoddamodo conglutinatæ ſunt, virtutes potius vobis enumeraverim, quam expenderim. Sine quodam piaculo hæc a me præteriri non poterant, ſed quia vobis nota, & longe lateque diſſeminata, illud mihi permittendum putavi, ut unoquoque ipſorum mollius, celeriuſque defungerer. Satis igitur vobis ſit hæc una de Ipſo veriſſima teſtificatio, regias omnes virtutes, quæ Viri Principis bene morati ſunt, ita in eo enituiſſe, ut omnium ille ſibi admirationem conciliaverit; nullum unquam maritum extitiſſe, qui a ſponſa, nullum parentem, qui a liberis, nullum regem, qui a populis Illo vehementius diligeretur; qui veluti Titus alter cunctorum in amore, & in deliciis eſſet; qui exterarum nationum, omniumque Principum ita corda ſibi devinxerit, ut pene illius voluntatem pro legibus, pro mandatis conſilia, decreta pro oraculis amplecterentur. Sed jam vereor, in adumbranda hoc longo verborum ambitu piiſſimi Imperatoris imagine,ne recens adhuc vulnus vobis refricare, & deſiderium tam chari capitis ardentius, quam conſilii mei ratio poſtulat, innovare voluiſſe videar; quare ad alteram orationis meæ partem citato gradu me conferam, ut illum quemadmodum Pii, ita quoque Felicis appellatione digniſſimum fateamini.

In quo genere laudis non tam illud mihi expendendum arbitror, quæ & quanta FRANCISCUS fauſtis ſemper ominibus pro voto obtinue-

tinuerit, quam qua ratione, quibusqne honestissimis artibus ad amplissimum beatitudinis culmen pervenerit. Non enim veram censeo felicitatem, quæ a virtute sejuncta sit, maximoque in errore versantur, qui prosperioris fortunæ usum scelere, libidine, flagitiis omnibus inquinatum felicem autumant, & invidendum. Oderunt quique sapientes viri, illorumque memoriam execrantur, qui rerum omnium contemptores divina, & humana jura pervertunt ad felicitatem sibi comparandam, illosque miserrimos judicant, quod probitatis adminiculo destituantur. Verum non idem est de honestis, optimeque moratis hominibus judicium, atque sententia. In eo enim quod quisque bonus est, illum quoque beatum, illum felicem, illum Deo acceptissimum prædicant, quum virtute ipsa major quædam, ac præstantior felicitas nec quæri a Deo, nec accipi ab hominibus possit. Alii igitur fortasse laudaverint perpetua in rebus bellicis scientiæ, ac fortitudinis monumenta; alii diuturnæ victoriæ insignia ex hostibus reportata, captas innumeras obsidione civitates, & imperii fines amplificatos; alii regna acquisita, leges pro arbitrio indictas, ac pene infinitam belli comparandi, instituendæque pacis auctoritatem: ego vero, si duce, aut socia virtute hæc fiant, si nihil perperam, si nihil per vim, si nihil fraudulenter, si demum omnia pro æquitate, pro regni jure tuendo, pro majestate vindicanda suscepta, & felicem ad exitum perducta fuerint.

Quæ cum ita sese habeant, de FRANCISCI

 feli-

felicitate sic statuo, eam in illo absolutissimam fuisse, eoque in gradu positam, ut dubitari omnino possit an virtus in illo major, an vero felicitas enituerit. Sic enim compositæ inter se visæ sunt, ut ipsius virtus felicitate pulchrior evaserit, summa vero felicitas nonnisi a virtute dimanaverit. Itaque dicam ne illum ex ea Gente natum, quæ sex huc usque & sexaginta, uno atque continuo successionis ordine, Duces Lotharingos enumerat; quæ dignitatis splendore, nobilissimique generis vetustate nulli alteri clarissimarum, celeberrimarumque gentium est secunda; qua nulla toto terrarum orbe fortissimorum heroum fœcundior est atque feracior; in qua si prudentiam ac consilium spectaveris, Principes sapientissimos, si pietatem integerrimos, si omnia belli ac pacis decora abunde amplissimos, & ornatissimos inveneris? Dicam ne illud admodum recentibus domesticis exemplis ad summa quæque inflammatum, cum parentem habuerit Leopoldum, Virum eximia prudentia, ac singulari adversus Deum pietate celeberrimum, avum vero Carolum, fortissimum, præstantissimumque Imperatorem? Dicam ne Lotharingiæ primum, deinde Etruriæ feracissimum sane, ditissimumque regnum Illi commissum, iisque deliciis affluens, quibus posset & dignitatem tueri suam, & corporis, animique solatio indulgere? Equidem hæc, licet nonnullis aliis communia, de FRANCISCO iterum & tertium commemoraverim, non quod summam prorsus & absolutam in illis inesse putem felicitatem, sed quod divinæ virtuti illius nescio
quid

quid videntur attulisse decoris & ornamenti.

Verum aliud profecto est, & hoc meo quidem judicio maximum, cur illum felicissimum nuncupemus. Quid hoc est, Auditores? Quod illum Carolus VI. Imperator sibi Generum adsciverit, eique MARIAM TERESIAM Filiam suam tot regnorum ac provinciarum ex asse heredem nuptum collocaverit; quod hoc vinculo utramque Familiam Lotharingicam & Austriacam ex Hugone Alsatiæ Principe procreatam unam iterum eandemque fecerit; quod FRANCISCUM quodammodo designaverit, elegeritque, cui Germanici Imperii fasces committerentur. Quod quidem non tam fortunæ, quam quod longe præstantius est, virtuti ipsius tribuendum existimo. Nam cum de re tam gravi ageretur, cui nempe Filiam suam sibi charissimam, omnique virtutum genere ornatissimam matrimonio jungeret, atque adeo totius Austriacæ Domus splendorem & decus concrederet, putatis ne, Auditores, Carolum VI., Virum suorum temporum sapientissimum atque prudentissimum, cæco quodam impetu abreptum temere id, & negligenter egisse; an vero nullum non movisse lapidem, seque diligentissimum præstitisse, ut virum reperiret dignum TERESIA Filia, & in primis idoneum ad Austriacam magnitudinem conservandam, atque amplificandam? Videor nunc mihi illum videre de gravissimo hoc negotio anxium atque sollicitum universum terrarum orbem oculis collustrantem, & potentissimos quosque reges, sed præsertim Germaniæ optimates regibus ip-

ſis & vi, & dignitate pares intuentem, illorumque mores, facultates, & ingenia curioſiſſime inveſtigantem, ne in maxima re prudentiæ ſuæ, quam vel in minimis ſemper prætulerat, aliqua apud poſteros negligentiæ nota inureretur. Omnes profecto maximos, omnes & gloria, & nobilitate, & potentia, & auctoritate ſpectatiſſimos comperit; tamen ex illis neminem, ſed unum tantum FRANCISCUM Lotharingum eligit, quem ſponſum nobiliſſimæ Filiæ conſtituat. Quare quum poſt longam diuturnamque deliberationem, quem ſibi potiſſimum Generum ex tot ſummis Germaniæ proceribus, atque etiam regibus caperet, unum dumtaxat FRANCISGUM Carolus VI. ceteris præpoſuerit: neceſſe eſt, dum illi talem tantamque felicitatem compararet, neſcio quid eximium ac pene ſingulare providiſſe, quo omnium mortalium & optimus, & excellentiſſimus judicaretur. Qua in re neſcio ego, cui magis gratulandum ſit, an FRANCISCI felicitati, an vero Caroli VI. ſapientiæ. Gratulandum certe FRANCISCO, quod Uxorem obtinuerit feminarum omnium, quotquot in univerſo terrarum orbe ſunt, facile principem, ex eoque antiquiſſimo, ac generoſiſſimo ſanguine concretam, qui ferme innumeros Reges, atque Imperatores in lucem edidit, qua nulla alia pulchrior, nulla caſtior, nulla corporis animique dotibus ornatior, & cui laudandæ nulla ſatis apta inveniri poſſit oratio. Sed quoque Carolo gratulandum, cujus pene divino conſilio factum eſt, ut quam in FRANCISCO virtutem detexerat, maximoque affecerat præmio,

ca

ea omnium in oculos insiliret, tantamque sibi conciliaret auctoritatem, ut demum illum ad summum Imperii apicem evexerit.

Deerat profecto hoc illi unum, ut ad augendam suæ felicitatis gloriam omnium eorum suffragiis, penes quos liberum est eligendi jus, & arbitrium, Imperator renunciaretur. O diem illum, Auditores, jucundissimum, & bonorum omnium votis expectatissimum, qui faustis auspiciis non Germaniæ solum, sed & Italiæ, totique Europæ nitidissimus illuxit! Jam fere quinque annorum spatio acerrime dimicabatur, ex quo potentissimi Reges in florentissimas eas provincias, & regna, quæ jure hereditario MARIA TERESIA a Patre acceperat, infestissimis armis irruperant. Externo ubique milite premebatur Germania, & cum intestinis, civilibusque discordiis contereretur, exteris undique nationibus in belli societatem accitis, suo se ferro illis jugulandam dederat; ipsa quoque Italia cæde, ac sanguine redundabat, nullaque pene Europæ pars erat, quæ funestissimo illo incendio non conflagraret. Hanc si quis iniquissimorum illorum temporum imaginem sibi iterum repræsentaret, nonne totius Germanici Imperii incolumitati conclamatum esse diceret, & desperatis ac perditis propemodum rebus omnia teterrimis illis bellorum turbinibus corripi, & ad interitum exitiumque vergere? Non quidvis existimaret potius, quam res omnes in integrum restitui posse, & ab illis tam diuturnam pestem ac perniciem depelli? Igitur hoc major FRANCISCI I. Imperatoris felicitas haben-

habenda eſt, quo intricatior ac turbulentior fuit temporum illorum conditio. Etenim felicitatis FRANCISCI fuit imperium illud, quod jamdiu ſibi debebatur, quodque demum turbatiſſimum capeſſivit, pacatum reddere, cuncta Germaniæ membra variis in locis diſperſa, ac diſſipata colligere, ſuoque corpori reſtituere, turbas omnes qua auctoritate, qua conſilio, qua armis compeſcere, atque ex inteſtino illo funeſtiſſimoque bello Germaniam ipſam una cum Italia, totaque Europa ad concordiam adducere. Vere itaque felix, imo feliciſſimus FRANCISCUS I. Imperator, qui non bellum ex pace, ut illorum nonnulli, quos nobis hoc nomine commendavit antiquitas, ſed ex bello pacem quæſiverit; majoremque ex hac laudem ac gloriam & jure & merito obtinuerit, quam ceteri quique ex armorum terrore, ex diſcordiis, bellorumque tumultibus ſibi pepererint. Quo ſane bono diutiſſime ille lætatus eſt; & quamvis extremis hiſce temporibus ad arma capienda, invitus licet, compulſus fuerit, tamen vel in hoc ſibi illud feliciter obtigit, ut Germanici Imperii incolumitati pro munere ſuo fauſtiſſimo eventu conſuluerit, & iis, quibus opitulaturus venerat, maximæ fuerit utilitati, & adjumento.

Et quoniam de bellicis FRANCISCI laudibus opportunus incidit ſermo, non abs re fuerit pauca quædam de illis delibare, ne in re tam magna parum videamur de ipſius gloria ſolliciti. Laudandus enim quicumque ille ſit, qui imperio polleat, ſi populorum quieti, & tranquilli-
tati

tati ſtuduerit; ſed laudandus quoque eſt, ſi ab hoſtibus laceſſitus exerto gladio illorum impetus contuderit, & felici marte pugnaverit. Nam quis ille demum mihi fuerit, qui ut otioſus vivat, omnia cogatur perpeti, & militaris artis ignarus neſciat illatas ſibi injurias ulciſci, & ſe, ſuoſque a ſæviſſimorum hoſtium incurſione defendere? A qua reprehenſione quam abhorruerit præſtantiſſima vel in bellis FRANCISCI virtus, vos ipſi judicatote. Recordamini difficillima, & graviſſima prælia cum impiis, barbariſque nationibus in ultimis Pannoniæ finibus ab eo commiſſa; recordamini ſanguine ipſius non ſemel, ſed pluries opulentiſſimum Auſtriacæ Domus patrimonium defenſum, & conſervatum; recordamini Germaniam univerſam priſtinum in ſtatum reſtitutam, exercitus fugatos, munitiſſimas hoſtium arces aut ſolo æquatas, aut in dictionem redactas, & immenſas barbarorum copias parva manu ab eo ſæpiſſime aut victas, aut repreſſas, aut retardatas. Quibus quidem in bellis ſtrenuum ſe, fortemque Imperatorem geſſit; nunquam enim illi defuit in eligendo conſilium, in obeundo alacritas, in exercendo induſtria & labor, in conficiendo ſedulitas, atque contentio. Vobis non ignota perſequor, Auditores, quæ quoniam fauſte, fortunateque geſta ſunt, quodammodo ad meam cauſſam videntur pertinere. Ut enim avitæ virtutis, ita quoque ſunt in FRANCISCO certiſſimum felicitatis argumentum.

Cum vero optatiſſimum eſſe parentibus ſoleat quam ſimillimos ſibi naſci filios, cui hoc unquam

quam benignius quam FRANCISCO Imperatori concessum est? Cui illud ex animi sententia successit, ut generosissimæ, numerosæque Prolis se patrem viderit, in qua ea constantissima elucet ingenii, virtutum omnium, morumque optimorum similitudo, ut facillimum sit & filios in patre, & patrem in filiis non adumbratum, sed egregie expressum intueri. Quotquot sane aut officii caussa, aut visendi studio Vindobonam frequentes ventitabant, insignem in iis pietatem semper admirati sunt, obsequentissimam erga Parentes optimos voluntatem, liberalissimos honestissimosque mores, ingenium suave, & ad omnia vel maxima expeditissimum, ut nemo unquam non dixerit eos quemadmodum patri simillimos, ita quoque imperio dignissimos. Quæ illi, ut usuvenire solet, in posterum providentes vaticinati sunt, omnia, ne quid perfectæ & absolutæ FRANCISCI felicitati deesset, nemo vestrum ignorat quam auspicato contigerint. Etenim JOSEPHUM II. Filium natu maximum Imperatorem designatum vidit, & nobilissimo Principi PETRO LEOPOLDO alteri Filio, se adhuc vivo, Etruriam vice sacra interim regendam, seque demortuo ipsi propriam adsignavit, alia fortasse & reliquis curaturus, si per ipsorum ætatem licuisset, & nisi nobis, iisque omnibus, qui Lotharingicæ, & Austriacæ Domus splendori student, & amplitudini, fuisset mortalitate interceptus. Celebrabatur apud veteres quasi rarum felicitatis exemplum Metellus, quod cum quatuor illi essent filii, cunctos aut Prætorio, aut Consulari, aut Censorio vide-

viderat magiſtratu perfunctos, & triumphalibus ornamentis inſignes. Magnum profecto dicendum eſt fuiſſe Metelli gaudium; ſed longe major FRANCISCI Imperatoris lætitia fuit cum incredibili voluptate conjuncta. Ille enim hæc in libera civitate conſecutus eſt, ubi plus populi, quam optimatum, qui prudentiores ſunt, auctoritas valuit; Hic ab ampliſſimis totius Germaniæ Proceribus, quos nefas eſt ſuſpicari aut fallere, aut falli poſſe; Ille lætatus eſt eos ad filios ſuos Reipublicæ honores delatos, qui licet maximi, quia in populi tamen manu erant, plerumque etiam indignis mandabantur; Hic ſuos iis decoratos imperiis, quæ ſummorum virorum ſuffragiis non niſi probatiſſimæ virtutis hominibus committi ſolent. Hoc ſane demum gaudium eſt, eas in filiis animi dotes intueri, ut nullus non illis honor communi omnium conſenſione debeatur. Hic eſt felicitatis veluti quidam cumulus, ad quem ſi cetera acceſſerint, quæ modo a nobis perorata ſunt, eum nobis Imperatorem oſtendunt, cujus vitæ curriculo virtute, ac fortuna duce feliciſſime exacto nihil majus exoptari, & addi poſſit.

Sentio me paullatim, Auditores, in eam orationis meæ partem eſſe dilapſum, quæ tota erit in iis præcipue FRANCISCI laudibus contexendis, de quibus nihil ſibi fortuna vindicat, nihil temporum opportunitas, nihil rerum commoditas, ſed quæ dumtaxat ipſius propriæ ſunt, præque ceteris, ſi pietatem excipias, primum ſibi locum uſurpant. Loquor de recta, & æqua il-

la civili Regni administratione, in qua, qui se attentum, ac sedulum, constantemque exhibuerit, ceteras regias omnes hac una laude complectitur. Nihil enim est cur Reges in hac tanta potestatis inæqualitate Deo simillimos judicemus, nisi quod pene infinita auctoritate præditi nullius subsunt imperio: contra vero ipsorum voluntati, & arbitrio omnia parere jubeantur. Siquidem eorum est leges condere, bellum indicere, pacem componere, fœdera sancire, deque ipsa vita, ac morte decernere. Quis tamen non videat in hac maxima principatus auctoritate quam facile omnino sit a recta via deflectere, & cum unius duntaxat nutu regantur omnia, omnia quoque susque deque habere, nihil pensi facere, & sibi populos, non autem se populis natum arbitrari? Quod mehercule qui sibi persuadeat, de gloria illius in memoriam sæculorum sempiternam actum omnino est; cui enim æquissimi imperii fama comparari debuit, ei crudelis adhæret, superbæque dominationis invidia. Hinc sane quemadmodum, qui filios olim susceperint, suavissimo illo patris nomine, quod ad significandam communionem sanguinis natura ipsa reperit, vocitari amant: ita ex Regibus nullum inveneris, qui Patriæ, hoc est populorum Patrem appellari, seque profiteri non gestiat. Tam dulci se quisque ceteris appellatione commendat, & cum velit amari a suis, suorum se quoque commodis, & utilitati studere, seque illorum amantissimum esse gloriatur, illos præ oculis habere, sinu complecti, & diu noctuque paterno amore vigilare,

ut

ut cuncta recte, prosperèque administrentur, ut legibus obtemperetur, ut domicilia, bona, fortunæque omnium in tuto positæ & collocatæ sint, ne quid demum repente insurgat, quod populorum tranquillitati, securitati & otio aliqua ex parte possit officere. Quid hoc Patris vocabulo suavius? quid honorificentius? quid vero difficilius, quod cum laude retineatur?

Veruntamen quod olim & jure, & merito FRANCISCO tributum est, id nunquam dimittendum, imo potius sibi confirmandum curavit. Quî enim ingrata ei foret ejus nominis appellatio, quo patriam servatam a se, amplificatam & auctam summa solertia, labore & industria significaretur? quo Tullius ille Romanæ eloquentiæ vindex, cui omnium primo post Rempublicam a cæde, ab incendiis, a rapinis liberatam hoc a Senatu concessum est, adeo lætabatur, ut deinde & Rostra, & Curiæ subsellia, & Deorum Templa nonnisi hoc nomine personarent? quod demum ceteri omnes Romanorum Imperatores nemini communicatum, sibique duntaxat reservatum voluerunt? Fuit igitur cur FRANCISCUS eo titulo decoratus sibi plauderet, nihilque haberet antiquius, quam eum se Regem præstare, qui amore in populos alios omnes longo post se relinqueret intervallo. Nullius hic ego nisi unius Etruriæ testimonio utar, quæ FRANCISCI patria facta est, ex quo pacis habendæ ac tuendæ caussa cum ea paternum Lotharingiæ regnum commutavit. Illa enim in hujus locum maximo suo bono successit, nihilque habuit, quod sibi invide-

deret grata quadam recordatione temporum illorum memoriam repetens, quibus suavissimæ Mediceorum Principum libentissime paruit auctoritati. Dicat nunc illa, & elatiori qua possit voce id fateatur, quo incredibili gaudio perfusa fuerit, quibusque lætitiæ significationibus sibimet ipsa plauserit, cum se illi destinatam sensit, quem maxima populorum consensione omnibus belli, pacisque artibus præclarissimum, quem cunctis Principibus Viris, & Regibus, ipsique Carolo VI. Imperatori acceptissimum, quem a sapientia, ab æquitatis, bonique publici studio, a liberalitate, a clementia, a litterarum patrocinio laudari passim audiverat? O si illa non semel tantum Regem vidisset suum! O si hic Etruriæ, fixo jam ac stabili regni sui domicilio, se perpetuo spectandum fruendumque præbuisset! O quæ beatissima duxisset tempora magni sui Ducis præsentia & aspectu recreata! At scitis vos, Auditores, FRANCISCI potentiam & majestatem non potuisse angustis Etruriæ limitibus contineri, longeque ab illa majora, imo maxima imperia ei divinitus decreta & adsignata. Verum in hac tam magna locorum distantia, & in ea multiplici curarum, quibus pro Germanico Regno detinebatur, varietate nunquam Etruriæ suæ ille defuit, & quamvis absens hujus felicitatem suis humeris innixam animo præsentissimo sustinuit, promovit, amplificavit. Hoc sane quidem usque ad hæc tempora mirum in modum experta est per Viros prudentissimos & sapientissimos, quos ille vice sui Etruriæ regendæ præfe-

fecit, quorum ea dum fidem, integritatem, & virtutis atque ingenii excellentiam quotidie suspiceret, providentissimi quoque Principis in FRANCISCO amorem est admirata, qui ejusmodi prętantissimis hominibus rerum Etruscarum summam commiserit, quibus cordi esset in publicis, privatisque negotiis probitatem, honestatemque in consilium adhibere. Quod idcirco vobis commemoratum volui, ut quemadmodum ab initio proposui, amantissimi in eo Patris solertiam & curam intueamini. Nam quis paullo prudentior ac perspicacior eximiam ipsius prudentiam, ac pene divinum consilium non celebraverit, quod cum ipse per se non posset, eos sibi in curarum partem adjunxerit, qui, ut eventus ipse mirifice comprobavit, nulla macula aspersi Regis sui gloriam, majestatemque tuerentur, & Etruscæ gentis felicitati prospicerent?

Hoc procul dubio omnium illi bonorum initium fuit, ac fundamentum. Non omnia enim FRANCISCUS poterat sine his integerrimis voluntatis suæ administris; hi vero quid magni egissent, nisi illum ad benefaciendum maxime propensum habuissent? Hac igitur animorum consensione nihil Etruria de pristina sua dignitate, tranquillitate & commodis unquam amisit, imo potius quæ prius habuerat, adauxit, & ea, quibus olim caruerat, nova quadam accessione sibi comparavit. Oculos, quæso, intendite, Auditores, in eam florentissimam, fortunatissimamque regionem, quæ ad septemtriones vergens huic nostræ contermina est ac finitima, illamque, quam late pa-

tet , intueminor . Regio ſane montoſa, ſed iis omnibus, quæ ad victum, voluptatemque neceſſaria ſunt, abunde ferax; populi olim bellicoſiſſimi, ne nunc quidem militiæ expertes, ſed paci potius ſtudentes, & quarumcumque artium, ſcientiarum ac diſciplinarum laude præſtantiſſimi; plurimæ, & maximæ, & opulentiſſimæ in ea civitates, quarum magnitudinem vel inde quis facile metiri poterit, quod unaquæque ipſarum antiquiſſima armorum & litterarum gloria claruerit, quod diu libertatem ſervaverit, ſuiſque legibus uſa fuerit, quod nulla denique ſit, quæ non multos in lucem ediderit viros bellica virtute, & ingenii præſtantia celeberrimos. Hæc beatiſſima non exigua Italiæ plaga illa eſt, quæ incolarum nobilitate, ſoli ubertate, cælique clementia nulli alteri invidet, & quam FRANCISCUS ſibi ita regendam duxit, ut nulla vel minima Etruriæ pars ſit, in qua & ſapientia, & providentia ipſius occupata non fuerit. Non eſt cur aliqua de hoc ſuboriri poſſit dubitatio. Percontemini, ſi vultis, Auditores, quaſcumque illius regionis loca frequentiſſima, nobiliſſimaſque civitates, quibus niſi perſuaſum ſit ſe in eo Patrem benemerentiſſimum amiſiſſe, vobis permitto, ut nullam orationi huic meæ fidem habeatis. Sed non ego fallor, Auditores. Aures quotidie noſtræ omnium litteris & fama celebrabantur novis monumentorum nominibus, quibus FRANCISCUS Cæſar communi utilitati ſerviens immortalis, æternæque gloriæ fundamenta excitavit. Vias publicas aut adducendis, aut alio abſportandis mercibus idoneas ubique audivi-

divimus magnis ſumptibus aut iterum ab eo ſtratas, aut mitiori clivo deductas; Thermas Piſano in agro magnificis ac regiis ædificiis inſtructas, & in ea loca vaſtiſſima, quæ in tractu Senenſi ſunt, & mare terminantur, miſſas grandi pecunia hominum ruſticorum colonias, quibus & cultiora, & frequentiora redderentur. Quod fortaſſe felici exitu perfeciſſet; doctiſſimis enim viris in conſilium adhibitis, omnibuſque ipſe per ſe, quibus opus erat, ſedulo expenſis quadringenties HS. de fiſco principis in eam rem inſumenda decreverat. Nihil autem hic moror, quod non abſolverit; cum enim de hac ejus voluntate non multo ante, quam moreretur, fama percrebuerit, maximam vel ex hoc, meo quidem judicio, liberalitatis, & providentiæ laudem adeptus eſt. Quid vero dicam Liburnum munitiſſimam urbem, atque alterum totius Italiæ emporium ampliſſimis auctum FRANCISCI muneribus, cum merces eo advectas ab omni portorio immunes indixerit, univerſiſque nationibus, ut eo ſe ex quacumque orbis terrarum parte conferrent, tutiſſimum aditum patefecerit? Quid illum mercatorum negotiationibus conſulentem pacem cum omnibus compoſitam, ac fœdus prudentiſſime initum ſanctiſſime quoque ſervaſſe, ut quamvis cuncta bellorum tumultibus quaterentur, Etruria ſua omni bonorum, ac rerum copia abundaret? Quid hanc ipſam proxime elapſis annis ſumma rei frumentariæ inopia ita provido FRANCISCI Cæſaris conſilio ſublevatam, ut dum una cum reliquis Italiæ provinciis caritatem præſentem, futuramque fa-

mem deploraret, hanc repente ex maxima frumenti difficultate incredibilis annonæ vilitas sit subsecuta?

Horreo totus animo, Auditores, omnibusque pene artubus contremisco, cum ultimam illam recordor, in qua versabamur, calamitatem, quam si leviorem, imo ut verissime loquar, si pene nullam admirabili CLEMENTIS XIII. providentia sensistis, non ideo tamen eam credatis aut minoris faciendam, aut parvi momenti fuisse. Periculum erat, (fatendum enim est) ne cultiores, florentioresque Italiæ provinciæ inedia ac fame divexarentur, aliorumque morborum vi ingruente, qui eam necessario comitantur, in ultimam exitiosamque perniciem, miserrimumque statum adducerentur. Hisce aliisque malis, quæ & ipsa Etruria tunc maxime formidabat, quis præsenti animo occurrit, nisi FRANCISCUS? quis soluta ingenti pecunia, & frumento undique vel ab ultimis regionibus comparato, quemcumque timorem ab Etruria depulit, nisi FRANCISCUS? Quis, nisi FRANCISCUS, in hac gravissima re ita sapienter se gessit, ut Etruriæ populi prius se a caritate, & fame liberatos, quam in hoc tam magno discrimine se versatos audiverint? Quis denique, nisi FRANCISCUS, anno superiori ad ejusdem ab Etruria deprecandam calamitatis suspicionem plurimas naves frumento onustas Tergestino e portu brevi mittendas promisit? Miramini hæc, & quidem merito, Auditores, ego vero non ita, ut nova quadam & insolita admiratione percellar. Quî enim a FRAN-
CISCO

CISCO hæc ſperanda non fuerant; quem toto vitæ ſuæ curriculo ita beneficum ac liberalem accepimus, ut neminem unquam niſi muneribus ornatum abs ſe dimiſerit? Qui privatos homines, majeſtate quodammodo exutus ſua, benigne alloqui, ac peramanter amplecti conſueverat, non omnium Etruriæ populorum in tanto periculo voces audiret, omnemque curam in iis ſublevandis impenderet? Non is in ſumma annonæ caritate fiſci pecuniam libentiſsime inſumeret, cui nullus unquam dies elapſus eſt, quo non aliquo homines affecerit beneficio? In hoc mehercule Tito ipſo majorem dico; ille enim unum ſaltem ſe perdidiſſe diem conquerebatur, quod amicorum nemini liberalitate ſua in eo profuerat, FRANCISCUS vero quotidie bene omnibus faciendo nullam temporis jacturam paſſus eſt. Id præſertim teſtantur valetudinarii, & veterani milites, quibus exauctoratis & domum, & ſtipendia adſignavit; teſtantur familiares ipſius, qui ingraveſcente ætate in ejus munificentia ſenectutis ſolatium invenerunt; teſtantur ipſorum familiæ, quas illis demortuis paterno amore fovit, & uxoribus, filiiſque alimenta præbuit; teſtantur puellæ ingenuæ, quas, ne in turpi egeſtate conſeneſcerent, honeſtiſſime collocavit; teſtantur pueri in orbitate vitam agentes juſſu ipſius alti & educati, pauperum ęgrotantium hoſpitia magnis aucta redditibus, novarum artium gymnaſia undique patefacta, præmia ad excolendos agros ſtatuta, & ingens pecunia tenuiſſimis hominibus ſtipem quærentibus quotidie erogata.

Possem equidem & alia plura præclarissima providentiæ, liberalitatis, & munificentiæ, quæ in FRANCISCO enituit, testimonia proferre, sed in eo laudando quidam adhibendus est modus, ne videar ego in singulis vel minimis recensendis aut patientia vestra abuti, aut reliquarum FRANCISCI virtutum quodammodo oblivisci. Nolite tamen, quæso, Auditores, quæ modo de his a me disputabuntur, brevitate potius dicendi, quam magnitudine singulorum expendere, illudque vobis statuite, non omnia, quibus excellit optima alicujus regni administratio, a me pro dignitate posse tam brevi orationis ambitu comprehendi. Quare facile, nec gravate, ut arbitror, patiemini, plura a me, quæ de FRANCISCO Imperatore dici possent, aut in præsens omitti, vestræque memoriæ relinqui, aut quæ silentio prætereunda non sunt, simul congesta vestris oculis contemplanda exhiberi. Sed inter hæc allicit me præ ceteris, & quodammodo rapit illius eximia animi facilitas & clementia, non quia reliquis major sit atque præstantior, sed quia gratior, & jucundior, captandisque populorum amoribus accomodatior. Quæ quidem ejus naturæ mansuetudo & humanitas adeo germana illi fuit, ut nesciret injurias ulcisci, imo beneficia pro malefactis rependeret, inimicis perbenigne parceret, & si quid ab eo petebatur, ultro ac libentissime elargiretur. Quam profecto virtutem non ideo putandum est minoris habendam, quod Lotharingicæ, & Austriacæ Gentis veluti nativa censeri potest; eam enim idcirco maximis autumo in

FRAN-

FRANCISCO laudibus extollendam, quod cum utriusque Gentis decora in eum unum concurrerint, illam quoque præ ceteris summis & Lotharingicis, & Austriacis Viris in amore, & in deliciis habuit. Neque mehercule in eo minor justitiæ laus, quam ita semper excoluit, ut nemini, quod suum erat, unquam denegaverit. De qua ut aliquid peculiare depromam, illud præcipue commemorandum arbitror, quod nullum ad ampliores magistratus promoverit, nisi quem in inferioribus de communi bono optime meritum, & quem neque pretio, neque metu, neque gratia ab æquitate deflexisse cognoverat. Illustre hoc quidem commendationis genus est, sapientissimaque ratio publicæ promovendæ felicitatis. Illud quoque non omittendum, eum militari sancti Stephani Ordini pristinam dignitatem adseruisse; quum enim quidam, qui ejus nomine & insignibus immerito gloriabantur, obrepsissent, legesque olim statutæ non servarentur, ut auctoritatis FRANCISCI fuit pro supremi totius Ordinis, quo fungebatur, Magistri officio ex amplissimorum Equitum albo indignos expungere, ita quoque justitiæ, novas leges indicere, quibus antiquis pareretur, nobilissimum Ordinem uberioribus locupletare redditibus, & illius omnes, si quas contraxerat, maculas sordesque abstergere. Cetera, quæ in multiplici Etruscarum rerum gubernatione rectissime ab eo sancita, ac patrata sunt, mitto nunc quærere, compressam scilicet hominum sceleratorum audaciam; frænum libidini ac licentiæ injectum; nobiles ære alieno gravatos, qui solvendo non erant, si parentum

culpa, munifice adjutos, si vitio suo, etiam patrimonio spoliatos; nocentes, ne bonorum pax, atque securitas perturbaretur, justissimis pœnis multatos; optimos viros debitis præmiis affectos, & gratiam benemerentibus abunde redditam. Dicam duntaxat, quod præter hominum opinionem est, tam legitime, atque æquabiliter justitiam a FRANCISCO administratam, tantaque clementia summi juris rigorem ab eo mitigatum, ut nihil ex unius virtutis officio sibi altera usurpaverit, sed utraque ipsarum ad paternæ FRANCISCI sollicitudinis, curæque laudem inita quadam inter se societate consenserit.

Venio nunc ad extremum, & quidem illustre orationis meæ argumentum, quod a FRANCISCI Cæsaris erga litteras, litteratosque homines studio & voluntate desumitur. Doctissimis Græciæ viris olim placuisse scimus tum demum felices eas fore respublicas, in quibus aut philosophi regnarent, aut reges per omne doctrinarum genus excurrerent, sed præsertim philosophiam excolerent. Quam celebratissimam Platonis sententiam sapientissime ab Aristotele interpretatam legimus. Negat enim reges, principesque viros valde quidem eruditos esse oportere, cum id nimis otii exigat, & parum iis adferat dignitatis; sed quam maxime optandum esse ait, ut præclarissima quæque ac nobilissima studia solerti cura promoveant, & litteratos tanquam divinum quoddam hominum genus amore suo prosequantur. Istorum nimirum doctrina reipublicæ salutem adferi, legum auctoritatem sustineri, bo-

na omnium, fortunafque confervari, & fi quid dignum memoria fit, ad pofteritatem extendi. Quæ fi ita funt, ut revera funt, quis te beatiffimam, feliciffimamque, Etruria, non appellaverit? Dicebaris olim beata, quod intermortuas a feptingentis amplius annis in Italia litteras, bonafque omnes artes & difciplinas in fitu, & fquallore jacentes excitaveras, tuamque in clientelam receperas. Felicior deinde vifa es, quum Mediceorum Principum cura & liberalitas renata in te feveriora ftudia beneficentiffime fovit, egregie dotata reliquit, & ad fummam amplitudinem ita evexit, ut perpetuum, ac quodammodo proprium fapientiæ domicilium & fedes evaferis. Quidni ego nunc te fortunatiffimam nuncupaverim, quæ talem Regem fortita fueris, qui ad litteras protegendas, & amplificandas nihil non omni tempore profuderit, qui quod alii inchoaverant, alii bonis alitibus auxerant, ipfe unus pro fingulari fua in illas charitate præclare perfecerit, abfolveritque, qui denique aliorum maximorum regum veftigia fecutus abfolutiffimum ipfe exemplar factus fuerit, quod in artium, fcientiarumque patrocinio pofteriores reges imitarentur. Ille, ille, inquam, unus eam tibi laudem confirmavit, ut optimarum omnium difciplinarum te diceres altricem & vindicem, talemque, ac tantum hoc nomine fplendorem, & dignitatem obtineres, ut jam ei quicquam adiici, & adjungi non pofsit. Tute ipfa vides, quo florentiffimo in ftatu res tuæ collocatæ fint FRANCISCO Cæfare litterarum patrono & fautore. Prudens ego nunc, fcien-

ſcienſque omittam, quæ extra te ſunt, pulcherrimam nempe illam veterum omnium numiſmatum a Carolo Magno ad hæc uſque tempora cuſorum collectionem; admirabiles eos quoque, rariſſimoſque naturæ fœtus, quibus undique conquiſitis, & Vindobonæ Auguſta in Domo aſſervatis nova quædam uberrima & eruditionis, & doctrinæ ſeges comparata eſt; amœniſſima illa demum viridaria Americanis cujuſcumque generis arboribus conſita, quibus omnibus & Chronologiæ, & Phyſicæ, & Hiſtoriæ, & Philologiæ rationibus videtur non parum ille profuiſſe. Quamvis enim hæc miſſa faciam, quæ certe maxima ſunt, & ad FRANCISCI laudem conducibilia, plurima tamen, ac propemodum infinita in te una ſuperſunt, quibus quodammodo te ipſam poſſis erigere, meritoque lætari. Veteres enim bibliothecæ maximis & copioſiſſimis auctæ ſunt librorum acceſſionibus, novæque ejus auſpiciis ad ſtudioſæ juventutis commoditatem recenter inſtructæ, quas inter lectiſſimæ illæ atque locupletiſſimæ, privatæ olim ac propriæ Lotharingorum & Mediceorum Ducum, publici juris nunc factæ; artis Icnographicæ ſtudium novorum præſtantiſſimorum præceptorum ſedulo miniſterio Florentiæ utiliſſime excultum; Senenſis perilluſtris olim Academia, ſed annorum lapſu conciſa, ac propemodum jacens munificis FRANCISCI manibus erecta, ac ſuſtentata; & illa altera, quæ jubente Cæſare eo conſilio nuperrime inſtituta eſt Academia, ne Florentini, & ceterarum urbium generoſi adoleſcentes otio ac ſocordia langueant ab avita majorum ſuorum

rum virtute degenerantes, sed ut ingenuis & liberalibus quibuscumque artibus, ac severioribus disciplinis non exigua Reipublicæ Etruscæ utilitate imbuantur. Quo ad commendandum eximium cum erga litteras, tum erga populos amorem suum quid illustrius, aut quid accomodatius excogitari unquam potuit? Etenim intellexit juvenes generis nobilitate conspicuos ad magistratus, ad honores, ad amplissima, eademque gravissima obeunda munera educari, qui si a teneris annis assuescant faciles aures doctorum virorum præbere consiliis, si saniora philosophiæ præcepta tempestive animo imbiberint, & in hac tanta, ac tam multiplici scientiarum & disciplinarum varietate ea præsertim, quæ utiliora sunt, avidissime arripuerint, optime quoque de publico bono, ac populorum felicitate videntur promerituri. Quæ tamen præ ceteris omnibus singularem FRANCISCI Imperatoris amorem experta fuit, illa est nobilissima, ac per totum terrarum orbem celeberrima Pisana Academia, quam ita semper in oculis habuit, vehementissimaque charitate dilexit, ut ejus opera & patrocinio nulli alteri secunda, plurimarum certe sit princeps. Testes hic vos appello illius Athenæi doctissimi, amplissimique Sodales, quos doctrinæ, penitiorisque eruditionis laude præstantes undique magnis muneribus accitos instruendæ Etruscæ juventuti præposuit. Præconiis ille vestris, justissimisque laudibus quam sæpissime affectus est, quod non nisi eruditissimis, sapientissimisque viris in collegium vestrum cooptatis totius Academiæ & gloriæ studuit &

ampli-

amplitudini ; quod bibliothecam & quidem pretiosissimis refertam libris vobis comparavit ; quod vos uberioribus stipendiis ditari jussit ; quod summa summæ doctrinæ præmia & beneficia semper attribuit . Illum vobis uno ore acclamantibus eximia pietate conspicuum , illum perpetua usum felicitate , illum regiis omnibus ornatum esse virtutibus , illum vere paterno amore in litteras,litteratosque homines , atque adeo in universos Etruriæ populos perfunctum fuisse aures quotidie nostræ personabant ; nunc vero o versæ mortalium vices ! o miserrima humanarum rerum conditio ! dum majora , si fieri ullo modo poterat , in dies expectabamus , dum FRANCISCO I. Imperatori , Augustæ Conjugi , generosissimis Filiis fausta omnia ac felicia adprecabamur , illum eheu ! immaturo interitu Germanico Imperio , Etruriæ suæ , totique Europæ sublatum una vobiscum lugemus .

Verum in hoc tanto ac tam repentino casu si perpetuo dolori cedendum esset , Auditores , numquam humanis quibuscumque rebus , quæ naturæ quadam necessitate accidunt , quæque interdum nos angunt , solatium aliquod inveniretur . Fateor & ego quoque improvisa,atque inopinata FRANCISCI morte maximam justi mœroris occasionem nobis oblatam;sed cum talis ille,tantusque Vir, qualem,quantumque huc usque vidimus, diem supremum obierit , quisnam vestrum erit , qui lacrimis & fletu potius , quam jucundissima virtutum ejus , maximorumque in rempublicam meritorum recordatione funus ejus cohone-
stare

ſtare velit? Quid aliud eſſet hoc facere , quam præſentem ejus, qua nunc fruitur , ut omnino ſperamus , beatitudinem indigniſſime ferre? Nam ſi pietati ſingulorum , ſi religioni , ſi in reliquos homines charitati ampliſſima a Deo æqua lance ſtatuta ſunt præmia ; ſi eam , quam quis feliciter virtutis auſpicio duxit , nova in cælis excipit vita bonis omnibus cumulatiſsima : quis amplius FRANCISCI morti illacrimabitur? Quis potius illi vere PIO , FELICI , PATRIQUE PATRIÆ jam acquiſitam beatiſſimam immortalitatem non gratulabitur? Quod cum mihi perſuaſum omnino ſit , propterea cenſeo in hac communi luctus acerbitate animos excitandos , certiſsimaque ea ſpe erigendos , fore ſcilicet , ut Chriſtiana Reſpublica jam Patre amiſſo in Filiis habeat , quo graviſsimo huic vulneri ſibi illato facillime medeatur . Heredes illi paterni regni , & imperii , paternarum quoque virtutum imitatores FRANCISCI gloriam æmulantur , cumque jam illi juvenili adhuc ætate cunctis eum animi dotibus , prudentia , conſilio , fortitudine , magnanimitate , amore in populos æquaverint , ſi ulla id fieri ratione poteſt , etiam ſuperaturi videntur . Habent profecto Auguſta in Matre MARIA TERESIA clementiſsimi, ſapientiſsimique regiminis perfectiſſimum quoddam exemplar ; habent domeſticas celeberrimorum utriuſque Familiæ Lotharingicæ & Auſtriacæ Heroum imagines , quorum aſpectu ad ardua quæque aggredienda invitantur , atque incitantur ; habent , quod certe maximum ac præcipuum eſt , tam excellentis naturæ , mitiſsimi-

mique ingenii opinionem, ut ad omnia virtutum genera non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti eſſe uno omnium ore dicantur. Optima igitur ab illis, ut cœpimus, in poſterum quoque ſperamus; itaque fiet ut quemadmodum de FRANCISCI I. Imperatoris, ita etiam de clariſsimorum Filiorum laudibus nulla unquam ætas conticeſcat.

F I N I S.

